

CHRISTI
451.

LEONIS PAP.
12.

VALENTIN. 27. IMPR.
MARCIANI 2.

XCVIII.
Querelæ
Photii de
civitatibus
ab Eustathio usur-
patis.

Cum vero ipse Photius Episcopus Tyri venisset ad Synodum hanc oecumenicam Chalcedone convocata, dedit libellum supplicem Marciano Imp. quo questus est de jure antiquo suæ metropolis diminuto, civitatibus ab Eustathio vendicatis. Imperator accepto libello, causam illam sanctæ Synodo tradidit judicandam, sicque dicta die producta est ipsa coram sacro Patrum Conventu. Ubi Photius constitutus, rogavit Synodum audire causam, quam definiendam ab eadem mandaverat Imperator: petiitque in primis recitari libellum a se oblatum Imperatori: Sed ne fieret libelli lectio, Eustathio objecit, id non faciendum ante absolutam in Synodo de sede tractationem, ejus rei causa omnes essent ad Synodum convocati. Sed interlocuti Judices cognitores, jusserunt legi libellum, auditæque ex eo Photii querelæ de usurpatis ab Eustathio Tyriæ metropolis civitatibus, deque per vim & metum extorto consensu, qui nullius debeat esse momenti: quod demum rogavit, ut secundum pristina jura oblata civitates Tyriæ Ecclesiæ redderentur.

XCIX.

Cessent
leges Im-
perato-
rum ubi
Canones
aliter mo-
nent.

Justus autem a Judicibus cognitoribus ad hæc respondere Eustathius: rogavit idem eos, num secundum canones Ecclesiasticos, an vero secundum leges Imperatoris causa dirimenda esset. Tunc iidem interlocuti Judices ista dixere: *Sacratissimo Domino Orbis placuit, non juxta sacras Imperatoris literas & pragmaticos typos res sanctissimorum Episcoporum procedere, sed secundum canones a sanctis Patribus datos. Omni igitur cessante & sacris pragmaticis definitione, canones de hoc capitulo editi legantur. Et inferius iidem ad Patres conversi: Dicat, inquit, sancta Synodus, Utrum ei placeat ex regulis Patrum hujus causa questionem examinari, an ex sacris pragmaticis, de quibus ea que sacro apertis visa sunt, jam omnibus aperta fecimus. Sancta Synodus dixit: CONTRA CANONES NIHIL PRAGMATICUM VALEBIT. REGULÆ PATRUM TENEANT.*

C.
Eccles.
Tyri in
integrum
restituta.

Gloriosissimi Judices dixerunt: Nunc tempus est, edoceri nos a sancta Synodo, an liceat ex sacro pragmatico aliene Ecclesiæ jura ab aliis Episcopis averti. Sancta Synodus dixit: Non licet hoc: est præter regulas. His dictis, justus est Photius docere Synodum de usurpatis ab Eustathio Ecclesiis Tyriæ metropolis: quo facta, petiit idem Photius a S. Synodo irrita reddi, quæ ab Anatolio & aliis Episcopis haud pridem contra eandem Tyriam metropolim ex lege Imp. Constantinopoli definita fuissent. Ad hæc Eustathius se excusans dixit, non a se in vasa jura Tyriæ Ecclesiæ, sed factum esse lege Imperatoris, consuetudinique esse,
Ann. Eccl. Tom. VIII.

Imperatores metropoles facere. Attamen S. Synodus definit, nullam esse debere sententiam latam adversus Photium absentem.

Rursum a Photio petiit, in suas Ecclesias esse restituendos Episcopos a se ordinatos, ab Eustathio autem ejectos Episcopatu, & inter presbyteros adnumeratos. Antequam autem de his sancta Synodus aliquid definiret, jussere Judices cognitores legi sacrum canonem: lectusque est canon quartus Magni Nicæni Concilii, quo jubetur unum uniuscujusque provincie esse debere Metropolitanum Episcopum. Lecto itaque canone, & Eustathio respondente, licere Imperatori jubere quod vellet: Judices cognitores de his sanctæ Synodi judicium ita interpellarunt: *Sancta Synodus quid sibi videatur, doceat, Utrum placeat secundum canonem recentiorum decem & octo Patrum, unum Metropolitanum Episcopum esse, qui in ordinationibus reverendissimorum in unaquaque provincie civitate Episcoporum potestatem habeat; an duos, ita ut liceat separatim in civitatibus ordinationes facere. Sancta Synodus dixit: Unum juxta regulas sanctorum Patrum postulamus esse Metropolitanum: Petimus ut regulas sanctorum Patrum teneat. Atticus reverendissimus Episcopus Nicopolis civitatis Epiri dixit: Centum decem & octo Patrum regula unum vult Metropolitanum in unaquaque provincie Episcopum esse: Et supplicamus, ut nunc etiam virtus canonum in quolibet & in omnes provincias valeat, cessantibus omnibus qua ex concursatione & ambitione pragmaticorum sunt, quæ & everterunt ea que spiritualiter & secundum Deum a sanctis Patribus sancita sunt. Hæc Atticus.*

CI.
Secundum
Canones
judicia
siant Ec-
clesiastica.

His omnibus auditis atque exacte percognitis, Judices cognitores definita a sanctis Patribus probavere, atque ipsorum sententia firmavere, ita interlocuti: *Juxta regulas trecentorum decem & octo Patrum, & juxta sententiam totius sanctæ Synodi, Photius reverendissimus Episcopus totius Tyriorum metropolis omnem potestatem ordinandi in universis civitatibus Prime Phœnicis provincie habebit. Eustathius reverendissimus Episcopus a sacro pragmatico typo nihil amplius sibi vendicet, quam reliqui Episcopi ejusdem provincie. At an his consentias sancta Synodus, doceat. Sancta Synodus exclamavit: Hoc justum judicium: hæc justa sententia: multos annos Imperatorum: Multos annos Augusta: multos annos Judicum. Ita plane definitum est in perdifficili controversia, in qua altera ex parte leges vigerent Imperatoris, staretque sententia ea de re in Synodo lata Constantinopoli ab Anatolio, præsentem etiam Maximo Episcopo
N An-*

CII.
Secundum
canones,
non secun-
dum leges
Imp. judi-
catum.